

## De directione, retrogradatione, stationeque planetarum,

## Propositio XVIII.

Planetarum directiones, retrogradationes stationesque  
per Tabulas inuenire.

**H**abeas primo centrum & argumentum æquata planetæ, de quo hæc inuenire prætendis, & eorum quodlibet scribe scorsum. Et mitte centrum uerum in tabulam stationis tui planetæ, recipeque stationem primam in eius directo scriptam, æquando tamen ipsam cum parte proportionali si opus fuerit, qua demum sublata de 12 sig. relinquatur statio secunda, quam scribe sub prima. Et considera si argumentum æquatum tui planetæ fuerit æquale stationi primæ in sig. gra. & mi. erit planeta stationarius statione prima ubi incipiet retrogradari. Quod si fuerit plus statione prima, & minus secunda, tunc retrograditur, & si fuerit æquale stationi secundæ, erit stationarius statione secunda. Si uero idem argumentum fuerit plus statione secunda, & minus prima, erit idem planeta directus. Quod si planeta directus fuerit, & uolueris scire, quando dirigi inceperit, considera si argumentum medium talis planetæ fuerit plus statione secunda, uel minus prima uel nihil, si plus statione secunda, subtrahe stationem secundam de argumento medio, & quod post subtractionem remanserit, diuide per motum argumenti in una die, si potes, & habebis in quotiente dies, si uero aliquid remanserit, aut diuidi non possit, tunc illud per 24 multiplica, & productum diuide per id quod prius, & in quotiente habebis horas, & si quid remanserit indiuisum per 60 resoluas, diuidasque cum priori diuisione, prouenient in quotiente minuta horarum, & sic consequenter ad libitum. Hoc ergo tempus ex diuisionibus emersum, de tempore quo tuam planetam æquasti subtrahe, remanebit tempus quo planeta incepit dirigi. Si autem argumentum fuerit minus statione prima, subtrahe stationem secundam, de 12 sig. & residuo adde argumentum tui planetæ æquatum, & totum aggregatum diuide ut supra, & totum tempus resultatum per tuam diuisionem aufer ut prius, relinquatur tempus quo planeta tuus dirigi inceperat. Quod si argumentum medium fuerit nihil, totam diuide stationem primam modo dicto, & a tempore ex diuisione emerfo, subtrahe ut supra, prodibit optatum. Quod si forsitan scire desideraueris, quando retrogradari incipiet, & argumentum medium plus fuerit statione secunda, tunc abijce medium argumentum de 12 sig. addasque relicto stationem primam, collectumque diuide more dudum tradito, & tempus sic resultatum adde tempori ad quod planetam æquasti, & habebis intentum. Si uero argumentum æquale, fuerit minus statione prima, ipsum de prima statione abscinde, & residuum diuide, ut paulo ante diximus. Tempus autem emersum adde, ut supra, & habebis initium retrogradationis planetæ. Quod si argumentum medium fuerit nihil, eo casu ipsam stationem primam totam diuide modo præfato, & tempus resultatum adde, ut dictum est, & habebis &c. Retrogradus autem si planeta fuerit, & scire uolueris quando retrogradari inceperit, stationem eius primam de ipsius minue argumento & residuum diuide modo habito, tempus autem tali diuisione compertum subtrahe a tempore pro quo planetam uerificasti, & remanebit quæsitum. Quod si scire uolueris, quando dirigi incipiet, argumentum eius medium aufer a secunda statione, & residuum diuide ut prius, & tempus ex hac distributione exortum adijcias tempori quo æquasti planetam, & comportatur quæsitum. Motus autem diurnus argumenti cuiuslibet quinque planetarum hoc modo inuenitur.